



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

IOANNI S.R.E. CARDINALI BRAZ DE AVIZ

Venerabili Frati Nostro

IOANNI S.R.E. Cardinali BRAZ DE AVIZ

*Praefecto Congregationis pro Institutis vitae consecratae
et Societatibus vitae apostolicae*

Cum magno gaudio Maria Magdalene et altera Maria cucurrerunt nuntiare discipulis Iesum vere a mortuis resurrexisse (cfr *Mt* 28,1-10). Nos autem, nutu divino in beati Petri successione constituti, solliciti intuemur cunctos nostrae aetatis populos, tum eos qui evangelicam Iesu Christi doctrinam cognoscere et sequi iam coeperunt tum illos qui divini Verbi nuntios adhuc expectant, iisque Domini resurrectionem et in Eo aeternae vitae spem laeto animo testamur.

Sicut certiores sumus facti, Fatimae apud Sanctuarium BMV Reginae Pacis mox V Ultraia Mundialis Curriculorum Christianitatis agetur. De celebratione huius eventus magnopere laetantes, cum Pastoribus et Christifidelibus ibi adstantibus corde coniungimur atque animum iis addere Nostramque benevolentiam manifestare cupimus.

Quamobrem libenter accepimus postulatam Venerabilis Fratris Francisci Iosephi Villas-Boas Senra de Faria Coelho, Episcopi titulo Plestiensis et Auxiliaris Bracarensis, necnon Assistentis Spiritualis Instituti Mundialis Curriculorum Christianitatis (compendiatis litteris OMCC), atque Egregii Domini Francisci Salvador, eiusdem Instituti Praesidis, qui humaniter poposcerunt ut Patrem Purpuratum illuc mitteremus ad Personam Nostram gerendam. Nos autem censemus te hanc Legationem congrue esse executurum, qui es fidelis proximus Noster cooperator et ardore plenus in catholicam fidem fovendam. Ideo *Nostrum Missum Extraordinarium* hisce Litteris te constituimus ad memoratum coetum diebus IV-VI proximi mensis Maii Fatimae sollemniter agendum.

In hac honorifica explenda missione pro Nobis sacris liturgicis praesidebis actionibus, sermone tuo Nostram ad mentem illustrabis eventus illius momentum, caritatem pariter Nostram testaberis erga cunctos congregatos eosque hortaberis ad hoc magni momenti apostolicum opus diligenter prosequendum.

Nos vero, Venerabilis Frater Noster, dum legationem tuam Immaculato Cordi Beatissimae Mariae Virginis committimus, Eam precamur ut homines toto in orbe benigna intueatur, Filio suo commendet uberrimaque eos impleat spiritali consolatione.

Peculiarem demum Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, intercedente Fatimensi Regina Pacis, nomine Nostro omnibus huius conventus participibus eorumque singulis communitatibus et Nationibus amanter largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIV mensis Aprilis, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana